



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 104. Alterum colloquium inter Castellæ & Arragoniæ Reges.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

§. CIV.

Sæcul. XVI.
A. C. 1506.*Alterum colloquium inter Castellæ &
Arragoniæ Reges.*

Priusquam vero Ferdinandus omnino
Regno excederet, cum suo Genero ^{Mariana}
rursus colloqui exoptabat, idque ejus vo- ^{lib. 28. n. 98.}
tis datum. Ergo ambo Reges quinta
Julii die abeunt, Renedi-conventuri.
Prior illuc adveniens Ferdinandus, ante
portam Ecclesiæ descendit, eamque in-
gressus Philippum præstolabatur, atque
illius adventum edoctus obviam processit,
moxque in mutuos amplexus ruebant, cre-
brisque teneri affectus signis sese certatim
honorantes sesquihoram, solo Archiepis-
copo Toletano assistente, conferebant, ubi
Ferdinandus monitis admodum salutari-
bus Archiducem imbuens, eidem Archi-
episcopum commendabat tanquam Vi-
rum probitate, sapientia, rerumque ex-
perientia omni tempore longe celeberrim-
um, in hoc ergo ut suam potius fidu-
ciam, quam in clientibus ætatis vitio in-
expertis reponeret, vehementer adhor-
tatur, si vero horum consilia, sequi perge-
ret, suam ipsi ruinam præfagebat: De-
nique ambo Reges colloquium solvunt,
exhibitis quidem externis mutuae amici-
tiæ significationibus, re tamen ipsa ul-
tro citroque parum contenti: Ferdinan-
P p 2 dus

Sæcul. XVI. A. C. 1506. dus igitur in Arragoniam revertitur, Rex autem Castellanus versus Vallisoletum iter arripit, ibique aliquamdiu commoratus, Regni Ordines convocat, res suas meliori, quo posset modo, dispositurus.

§. CV.

Castellæ status ab Archiduce mutatus.

Marian. ib.
n. 100. 101.
& 102.

Præprimis Regni Ordines Philippo Archiduci pro sumptibus belli in Mauros ducentorum quinquaginta aureorum millia pollicebantur, infra biennium numeranda. Enimvero hoc erat haud levis momenti subsidium, quod populus nuperi belli calamitatibus dire vexatus ultro offerebat. Postea Philippus cunctis officiis novos præfecit Ministros, unde graves exortæ sunt querelæ, quæ progressu temporis in funestam Catastrophen desinebant; jamque non paucos fera subiit pœnitentia, quod neglexissent Ferdinandum, cujus tamen experientia, atque in tuendo bono regimine, regni-que tranquillitate cunctis perspecta erat prudentia. Interim Castellæ Rex, atque Regina Mense Augusto Vallisoletum abeunt, Segobiam petaturi, medio tamen itinere Rex mutato consilio, Durio flumine vectus, Tudelam venit, primo Burgos, inde Victoriam profecturus, ubi unico